1530. d. 14. Octobris

Petrus Tomicki Episcopus Cracovi-
ensis vice Cancellarius Lucæ de Gorka
Castellano Posnaniensi et Capitaneo
maioris Poloniæ generali.

33

Magnifice Domine Domine Frater et amice
honorandissime. Explicare vix possum
quantum mihi dolorem et animi acerbita-
tem nuntius de morte uxoris magnifi-
centiæ vestræ et sororis meæ charissimæ
attulerit. Quo dolore impeditus ad leviendum
luctum vestræ magnificentiæ cum ipse
consolatione egeam persvasiones afferre
vix valeo. Quia tamen litteræ magnifi-
centiæ vestræ mihi declaravunt illam
nihil nisi triste cogitare maximoque
cruciatu propter amissam Consolationem
et necessitudinis suæ potissimum pignus
confici praecentes scribere ut cunque malui
quam officij mei in hoc genere causam
relinquere. Quibus per fortunam et per a-
micitiam nostram Magnificentiam
vestram oro et obsecro ut mœrori suo par-
cat, ne quid forte gravius de salute et in
columnitate sua nimio luctu consulat,
frustra enim est de his quæ recuperari

non

non possunt nos sollicitos esse, cum inde nullum aliud nisi afflictionis lucrum reportemus. Ego profecto expertus hoc loquor qui molestias multas et passiones animi post mortem fratris mei sustinui et pertuli quas nunc demum inutiliter et in cassum me in animum admisisse cognovi. Quare et magnificentiam vestram tempori amice hortor, illamque iterum atque iterum rogo ut dolores et molestias animi quarum post hoc pertinere debeat, cum tempus est et cum illi adhuc documentam nullum attulerunt quanto magis potest propulset, illisque sibi temperet. Ne suo dolore cumulato nobis amicis molestiam et perturbationem augeat. Ego autem Dominum Deum precabor ut hanc iacturam uxoris suae Charissimae singulari aliquo et insigni bene filio ac consolatione magnificentiae vestrae compensare digneteur. Commendo me amori et benevolentiae fraternae Magestati vestrae quam felicissimam esse et diu cum reliquis suis pignoribus sanam salvam et incolumem vehementer opto. Datum Cracoviae die Sancti Lucae Evangelistae die decima quarta Octobris anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo